nec ſterilitatem creent, vt alius in Sicilia, nec tam calidi in
nocte vt tangi non poſsint, nec tam frigidi de die vt bibi
non valeant, quemadmodum duo creduntur exiſtere apud
Garamantas; ſed planè è diverſo, tam ſuaves, tam limpidi
puriq, et temperati, vt nemini ſtomachum moveant, alliciant
omnes, debilitatos reſtaurent, miſeros alleuent, tribula-
tionum, adverſitatumq amaritudine perfuſos dulcore ſuo
exhilarent. Ægyptiamq potius imitentur ſcaturiginem in
qua accenſa extinguuntur, et extincta accenduntur, ſic vt
et in his extinguantur vitiorum incendia, et accendantur
virtutum ~~in~~deſideria, auferantur indumenta tenebrarum, et
induantur arma lucis. O vtinam his applicaremur vberibus
vtinam ex iſtis daretur bibere fontibus, vel guttula ſufficeret.
De ventre denique Benedicto, qui Deum incomprehenſibilem
in ſe comprehendit, quid dicam? O vterum coelo capacio-
rem, Empyrio illuſtriorem, Paradyſo fragrantiorem an n
verè pulcher venter Christe qui te portavit? imo pulcherrimus,
quia intactus, illibatus, immaculatus, nil libidinis ſentiens
in conceptione, nil gravitatis in geſtatione, nil doloris in
partu. O vterum admirabilem, o thalamum ſanctiſsimum, in
quo connubium naturæ divinæ cum humana peractum!
Vrnam auream in qua manna coeleſte collectum est, et con-
ſervatum! Hortum concluſum in quo aromata divinum o-
dorem ſpirantia crevere, et in totum orbem odorem ſuum diffun-
dere! An non iam tota pulchra eſt triumphatrix noſtra